

Q. F. F. J. D. T. O. M.

Disputatio Pneumatologica.

De

Mente Humana.

In

Statu Separato,

Quam

Adprobante Amplissima Faculta-  
te Philosophica in incluta Acade-  
mia Pernaviensi,

PRÆSIDE

Viro Amplissimo ac Celeberrimo

Dn. DANIELE SARCOVIO,

Phil. Theoret. Prof. Publ. ac Ord.

Pro solitis in Philosophia Honori-  
bus Candido Eruditorum exami-  
ni publice submittit

GUDMUNDUS KROOK,

Aiistro. Goth. Svedus.

In Auditorio Majori ad diem 31.

Augusti à hora 6. matutina Anni 1699,

---

PERNAVIÆ,

Exc. Joh. Brendeken, Acad. Typogr.

*J. L.*

S. <sup>cræ</sup> R. <sup>æ</sup> M. <sup>tis</sup> S. <sup>ciæ</sup>

Summa Fidei

VIRO

Senatori Campi Ducis,  
Generali Governatori Livoniæ

&

Civitatis Rigenfis,  
Academix Pernaviensis

CANCELLARIO,

ut &

Generali Munimentorū Præfecto,

*Illustriſſimo Heroi ac Domino*

Domino ERICO

DAHLBERG/

Comiti de Schenås/Libero Baro-

ni de Stroppstad/Domino

de Wårder etc. etc.

Domino meo Gratiſſimo

*Hoc breve exercitium*

*do, dico offero*

*Humillimus Clienſ*

Et A

Gud. Krook.

23246

46940340

(1)

Benevole Lector!

**E**Xmore recepto in castris Mu-  
sarum relinquere aliquod scri-  
ptum Luci publicæ, quando adirem  
honores illos, qui distribui solent in-  
ter eos, qui in scientiis philosophicis  
aliquo usq; sunt progressi, debeo et-  
jam & ego. Id quoq; Levi hac ac  
brevis opera executus sum, ne mihi  
ipsi vel tuæ expectationi deessem? Sed  
argues forte in ea tum forma angu-  
stiam tum inelaboratam faciem.  
At scire te volo, hanc culpam, si  
hoc nomine dicenda est, non tam  
meo proposito, quam fortuna tribu-  
endam esse. Ipse enim cum hosce  
honores, me propter varia impedi-  
menta ac obstacula non posse adpe-  
tere existimavi, ex animo itaq; meo

A 2

omnes

omnes cogitationes de elaborando in illum finem aliquo specimine eieci. Sed cum sepius me allocuti sunt de sententia mutanda illi, quorum iussis, monitis ac voluntati resistere mihi nefas esset, tandem eo sum adductus, ut mutata sententia priori cogitare cœperim de eo, quomodo morem gererem benignis adeo consiliis. Itaque postquam stetit hæc sententia, etiam sollicitus esse cœpi de ejusmodi exercitio quod monstrandum est hujus honoris Candidatis. Incidit mihi præsens hoc in mentem, scilicet de Mente humana in statu separato. Ante paucos enim annos eam consideravi in statu conjuncto. Argumentum natura sua quidem nobile; Sed quod minus digne à me potuit exponi, tam propter hujus sum-

summam subtilitatem, quam propter breve spatium temporis factum, quo illud efficiendum est. Te proinde qua par est, Lector ingenue, quaeso observantia, labentem corrigas, correctum erigas. Alea enim jacta est, adeo ut amplius integrum haud sit, exilia hæc & ex sanguine ad spectui tuo subducere.

I. N. J.

*Thef. I.*

**M**irabitur forte quis me-  
talem elegisse materiam tra-  
ctandam, cujus perfecta cognitio  
hac in vita dari non potest. Verum  
enim vero is desinet mirari dum ad-  
curate considerat plurimas res in  
rerum natura, non tantum circa  
substantias materiales, verum etiam  
circa immateriales nobis esse igno-  
tas, maximeque tam oculorum quam  
mentis fugere aciem. Priores ut  
omittam, quis modum mihi mon-  
strare potest, cum mens est conjuncta  
corpori, quomodo omnes suas fun-  
ctiones & operationes edit? vel quo-  
modo quid imateriale potest move-  
re materiale, & vice versa? cum mens  
non potest tangere vel tangi. Cre-  
do adhuc neminem inventum esse  
qui

qui jactare potest, se omnia hæc no-  
visse. Ut ut hæc sese habeant, ego  
tamen summo studio in id juxta in-  
cumbam, ut ostendam mentem hu-  
manam post separationem à corpo-  
re, superstitem ac incorruptibilem  
vel potius immortalem existere, &  
quantum fieri potest ratioque institu-  
ti mei permittit, modum existendi  
quam quam maxime difficilem, ut  
indigitat vir summi ingenii Ludo-  
vicus De la forge de mente hum:  
hisce verbis: *Conjecturalem esse & quo-  
ad maximam partem philosopho incertum  
anime post hanc vitam statum.* Addit  
etiam hæc verba. *Maximas gratias  
habeo D. Descartes, quod ad principem E-  
lizabetham Epistola nona primi voluminis  
hoc modo scripserit: Quantum autem ad  
anime, post hanc vitam, statum, illum  
longe minus novi quam D. Digby, nam  
omissis iis, quæ fides docet, fateor sola ra-  
tione posse nos multa quidem conjectare,  
quibus nobis satis blandiamur, spesque exi-*

*nias concipere, sed certitudinem nullam. Cujus ratio est quod post hanc vitam status animæ non minus quam modus unionis ejus cum corpore, durante ea, à libera Dei voluntate pendeat. Quare quemadmodum nunc nullam habere possumus experientiam quomodo tunc temporis suas exercebit functiones, sic etiam sine insigni temeritate non possumus nisi parum admodum de iis determinare.*

### *Thes. II.*

Hisce præmissis, confero me propius ad probandum existentiam ejus post solutam unionem cum corpore. Variæ fuerunt olim & hodie existunt de animæ immortalitate sententiæ. Epicuræi enim eam omnino negarunt, quos Plinius sequitur lib: 7. natural: hist: cap. 55. & Galenus quod mores sequantur temperamentum corporis, reprehendit Platonem, quod defenderit immortalitatem animæ. Idem et-  
jam

jam docuisse Aristotelem referunt Plutarch: de Placit Philos. c. 11. Simon Portius in lib: de mente hum: Cajetanus l. 3. de anima c. 2. sunt tamen plures, qui negant Aristotelem ita sensisse, vid. Scheib: de anima sep: l. 2. c. 5. Tit: 2. Art. 1. Ego vero cum omnibus sanæ mentis Philosophis haud invalidis eorum adductus rationibus, svadente id ipsum propria mea ratione, affirmo mentem post factam unionis solutionem à corpore incorruptam manere. Sed obiter hic notandum venit, quid per corruptibile ego intelligo. Corruptibile itaq; duplici in differentia accipitur. Aliæ enim res ex materia & forma compositæ sunt, aliæ materiæ expertes. Priores suam existentiam in illo statu quo antea fuerunt, perdunt, quando partes, ex quibus componuntur, dissolvuntur vel separantur. Posteriores autem ut Angeli, Mens nostra perire nequeunt,

nisi per annihilationem, quæ æque est opus mere divinum ac creatio. Omnes enim mutationes factæ à principio creationis totius universi, & futuræ usq; ad finem ac interitum istius non possunt efficere, ut Angelus vel Mens humana existere desinant. Ex innumeris itaq; rationibus ac argumentis, quæ Platonici imprimis, & Christiani philosophi attulerunt, paucas seligere ac præcipue eas, quæ intellectu sunt faciliores, proferre constitui. Qui Prolixius hasce scire cupit, potest consulere Plat: in Phædro, Phædone, Timæo Philebo, in Menone, in libris aliis qui rationes multas proposuit, quarum decem repetitæ sunt inde à Pererio lib: 6. Phys. c. 18. & c. 20. Sic & Colleg. Conimb. disput. 1. de anima sep. a. 3. Ruv. de anima sep: q. 4. Thom: 1. p. q. 76. a. 6. Parit. in nova Philos. lib: 2. c. 1. Valles: de sacra Philos. cap. 4. aliosq; per plurimos

Thef.

## Thef. III.

Immortalitatem animæ non ex alio magis quam ex illius functionibus demonstrari posse nemo negabit. Nam unius cujusq; rei naturam ex illius operationibus metimur, cum omnis actio sit naturæ, à qua proficitur, accommodata. Hinc illæ communes, & à peripateticis toties usurpatæ notiones: operari sequitur esse; unum quodq; esse propter suam operationem; Modum essendi sequitur modum operandi vid: Philos: Burg. Metaph: Tract: 3. unde sic concludo: Quæcunq; res non dependet à materia, neq; in esse, neq; in operari, ea est incorruptibilis atq; immortalis, Mens humana non dependet à materia neq; in esse, neq; in in operari, Ergo. Corpus enim nihil confert ad mentis essentiam in statu conjuncto, multo minus in statu separato. Independens

A5

itaq;

itaq; semper à materia est quæq; non necessario desinit, materia facta indisposita, sicut formæ accidentales, calor scilicet & frigus animæq; brutorum, quæ corrumpuntur. Deinde principia quædam menti impressa sunt, ut totum esse sua parte majus, demonstrationes omnes præfertim Mathematicæ, judicia certa & fixa, quibus rem esse aut non esse decernimus, affirmatio nimirum aut negatio non sunt actus corporei, aut imaginationis fœtus, ut nihil dicam de cognitione rerum Spiritualium.

*Thef. IV.*

Ex Dei etiam providentia incorruptas manere mentes sic probatur. Certum est huic universo tamquam Reipub: bene constitutæ, præesse summum principem ac moderatorem, qui sit & virtutis remunerator & scelestorum vindex. Neq; enim,

enim, ut ait Cicero, *temere & fortuito creati sumus*: nec DEus nisi justus esse potest; si vero homo cum moritur, funditus intereat, male consultum erit hominibus, & boni erunt infeliciores iis, qui se vitiis & sceleribus contaminaverunt, & virtus sua fraudabitur mercede. Ex veris itaq; & indubitatis moralis Philosophiæ principiis recte colligimus mentes semper incorruptas manere: nimirum enim, ut ait Plato in Phædone, *impii Lucrarentur, cum à corpore & sua pravitate Liberarentur*. Vid. Phil. Burg. Quid enim illi timerent, qui animam una cum corpore perire sibi persuaserint? vitam certe agerent pessimam ac brutalem, verum deprehendimus multo aliter fieri; quando omnes qui ratione utuntur recte sua ad cognoscendum summum illud Ens, autorem omnium rerum ac summum bonum, illud impense amant, istius consortio frui sine

sine intermissione desiderant, non potest summum illud Ens misericordia ac clementia plenum illorum fallere spem, quam ipse indidit mentibus illorum in ipsa creatione, nec potest summum illud illis subducere bonum una cum ipsa morte, existentiam illorum in nihilum redigere, nisi quidquam derogare vellet summæ ac inexhaustæ suæ bonitati. Quis adeo demens erit, ut deum iudicaturum esse creaturas suas rationales non erubescat dicere? scilicet, illum annihilaturum fore animam humanam, taliq; modo eam redditurum expertem summi boni. Absit igitur ut talia DEo tribuamus absurda, quæ sanæ rationi maxime contraria sunt. Ego itaq; pro ratione instituti contentus duobus hisce argumentis ad probandam ejus existentiam, statum ejus contemplari nunc animus est.

*Thes. V.*

Varii

Varii & magni nominis non tantum Philosophi verum etiam Theol. pro aris & focis hodie contendunt, & olim confenderunt Mentem humanam in statu separato existere incompletam. Sed in hisce, paucis me expediam, & istis, ut spero, satisfaciam, si accurate attendant ad distinctionem Eximii Des Cartes in responsi ad Samuel: Maref: sic se habentem: *Aliter dici possunt substantie incompleta ita scilicet ut quatenus substantie, nihil quidem habeant incompleti, sed tamen quatenus referuntur ad aliquam aliam substantiam, cum qua unum per se componunt. Itaque est substantia incompleta cum solus spectatur: & eodem plane modo mens & corpus sunt substantie incompletae, cū referuntur ad totum suppositum scilicet hominem quem componunt sed sole spectate sunt completae.* Unde patet, istud incompletum in mera consistere relatione, quatenus id, quod in sua natura est completum & im-

perfe-

perfectum, dum non habet illam perfectionem, quam habet totum illud ad quod refertur. Quam sententiam etiam corroborat Wittick. in Theol. sua Pacif. hoc modo 1. Animas separatas habere omne id quod ad suæ essentia perfectionem requiritur adeoq; existere complete 2. Posse quidem in homine animam considerari ut partem ejus, quatenus conjuncta est cum corpore, sed soluta ista unione eaq; existere, imo similiter existere ac angeli existunt. 3. Eo quidem sensu dici posse animæ statum præter naturalem quatenus consideratur natura prout hic fuit, quum requirebat unionem cum corpore, sed post istam solutionem unionis. eaq; naturaliter animam sine corpore ac angelos existere posse. In quibus me à vero aberrasse non dum videre possum.

Thef. VI.

Mentem præterea in hoc statu cogitare nemo sanus negabit. Evidentius hæc ut pateant, conferamus

ramus extentionem ac cogitationem hoc modo: Cogitatio & extensio spectari possunt, ut constituentes naturas substantia intelligentis & corporea, tumq; non aliter concipi debent, quam ipsa substantia cogitans, & substantia extensa, hoc est quam mens & corpus, quo pacto clarissime & distinctissime intelliguntur. Cartes. in part. 1. principiorum suorum §. 63. & §. 64. sic differit. Cogitatio & extensio sumi etiam possunt pro modis substantia, quatenus scilicet una & eadem mens plures diversas cogitationes habere potest; atq; unum & idem corpus retinendo suam eandem quantitatem, pluribus diversis modis potest extendi; nunc scilicet magis secundum longitudinem, minusq; secundum Latitudinem, & contra. Quamvis itaq; cogitatio hæc vel illa evanescat, manet semper tamen cogitatio, sicut, etsi corpus in mille figuras formetur & varietur, manet semper extensum. Objicere tamen mihi quis potest, menti in hoc statu objecta ali-

qua corporea sensus moventia non occurrere, quæ ansam ei præbent cogitandi. Sed respondeo: Quanto objectum est menti conjunctius, tanto acrius percipitur, Mens est sibi, ut ita dicam, proxima, neq; a deo imagine indiget, ut se ipsam percipiat. Quamvis enim dum mens juncta est corpori, non sese clara & distincta cogitatione intueatur, cum tamen sit sibi intime præsens, sine ullo phantasmate se utcumq; intelligit, & est suæ cogitationis sibi conscia: tametsi corporum consuetudine abrepta, vix in sese aciem dirigat: Sed ubi soluta est à corpore, nec tot functionibus in diversanitentibus distrahitur, tum sibi ipsi est notissima. Illam etiam creatorem suum multo perfectius cognoscere ac intelligere quam in statu unionis, quis ibit inficias? Cum eo enim suavissime conversatur eumq; sine intermissione colit ac diligit libera

bera à curis omnibus hisce mundanis. Ex hisce præmissis talem definitionem: *Mens humana separata est substantia cogitans, incorruptibilis, completa.*

*Thef. VII.*

Operæ pretium me facturum spero, si pedem ad mentis ubi promoveam, de quo variæ variorum non tantum apud Philosophos verum etiam Theologos reperiuntur judicia. Memini quidem distinctionem usitatissimam inter locum mentium, sed maxime ridiculam scilicet DEum esse in loco repletive, Angelos definitive, mentes humanas circumscriptive. En figmentum Scholasticum! Nam locus solum est adfectio corporis. *Hæc enim distinctio, ut habet Clariss. Wittick: in Theol: sua pacif: si bene attendatur ad terminos, dicit tantum diversum modum, quo corpora alicubi sive in loco esse dicuntur, ita*

ut omnia istius distinctionis membra corporibus proprie sint adsignanda E. g. Repletive corpus dicitur esse in loco, quatenus sua extensione & mole totum illud spatium in quo est, replet, ut alia corpora inde excludat, cum penetratio corporum manifestam implicet contradictionem. Definitive vero corpus aliquod dicitur esse in loco, quatenus non tam ad molem & magnitudinem quam ad situm ejus attendimus, quam inter alia corpora obtinet, que situs determinatio sit vel per corpora longius remota, vel per proxime juncta ab una aut altera parte; ita urbs sita dicitur prope montem vel flumen vel mare. Circumscriptive corpus in loco esse dicitur, quando attenditur ad ejus situm inter proxime juncta corpora, que illud undiq; circumjacet, quo sensu pisces sunt in aqua, aves in aere, aqua in vase etc. Proprie igitur haec locorum differentiae sunt corporum, idq; quod repletive est in loco, etiam sensu alio circumscriptive & definitive in loco esse dici debet, mentes autem quacumq; ille sint nec repletive,

sive, nec definitive, nec circumscriptive in loco proprie dici possunt. Ea enim que propria sunt corporum proprie de mentibus usurpari non posse nemo negaverit, cum omnes admittant hoc axioma: Disparatum de disparato non posse predicari in sensu proprio. Eodem autem res redit, sive substantia disparata de substantia disparata, sive istius substantia disparate attributum, quod ab illa substantia disparata non nisi ratione differt, de eadem substantia predicetur. Et hæc pro habitu rerum mearum de argumento præsentis quam brevissime dicta sunt.

## Corollaria.

1. Vocabulum Spiritus improprie tribuitur mentibus.
2. Substantias intelligentes vel mentes dari ex lumine rationis demonstrari potest.
2. Mentem humanam non esse formam hominis neq; in statu con-

juncto, neq; in separato facile probatur.

4. Mentem primarium subjectum esse peccati veritati consentaneum est.

# Soli DEo Gloria.

*[Faint bleed-through text from the reverse side of the page]*

## Corollaria

*[Faint bleed-through text from the reverse side of the page]*

Ad

Ad

Clarissimum Philosophia  
CANDIDATUM

Dn. GUDMUNDUM KROOK,

*Smolandum,*

Amicum singulariter colendum

De

Statu animæ separata,  
In Disputatione graduale erudite  
differentem.

**N**obilior sit pars hominis *Mens*  
conscia recti,  
Numinis atque instar corpore in  
organico.

Quid tamen ipsa fiet, quo agat atq;  
in corpora pacto,  
Si monstrare vales, magnus amicus  
eris.

Cur igitur tandem tanto rimare  
labore

Hancce solutam quæ conditio  
maneat?

Scilicet

Scilicet ut doceas tamen hanc post  
 funera quæri,  
 Sertaq; jam Musas adseruisse Tibi.

*L. M. q. adposuit*  
 Laurentius Molin,  
 S. Theol. Lic: & Prof: ord.

**S**piritus humanus stabili durabi-  
 lis ævo

Divinas dotes asserit esse datas.  
 Ast cum corpore laxavit vincula  
 molis,

Cujus naturæ mens sit in axe  
 poli,

Differit in præsens **KROKI** tua  
 pagina, dignus

Ergo manes clariis Aoniisq;  
 Choris.

Ita suo consanguineo Lauream Phi-  
 los. egregie merenti, lubens  
 meritoq; gratulatur

Nicolaus Sandahl.

*Sandahl*